

erat, tum alterius cuiuslibet gentis, tum etiam Chanaanæ ducere; sic enim cessabat ratio Legis. Et Deut. 21. 11. permittitur exprēse hebræis, ut ex capitis in bello mulieribus, unam ducant Uxorem.

Ex his patet responso ad factum Eldræ, qui iuste omni populo dimittere Uxores, quas ex gentibus alienigenis, ac idololatri sibi copulaverant: nam id videtur prima fronte impossibile tum de Jure, quia si Matrimonia illa erant tantum illicita, non autem irrita; quomodo solvi poterant; tum de facto, ob multitudinem Uxorū alienigenarum, quæ tunc erant apud Judæos? Respondetur lenim ad dubium Juris, quod apud eos licitum erat, ac frequens dare libellum repudiæ, ut nos docuimus supra Decif. IX. unde poterant per illud conjugia, quamvis valida, dissolvere. Ad dubium facti dicitur, quod est probabilē, facta publicatione Ediçti de mandato Eldræ, ac Judicum deputatorum de dimittendis uxoribus idololatri, paucissimas ex ipsis voluisse remanere in falsa religione, sed eas ferè omnes conversas esse ad veram fidem, & abjurata ethnica superstitione promississe verum Deum colere; siquæ illas non fuisse de facto dimissas à conjugibus; siquæ retentas tanquam prophyetas, ac conversas ad Deum, prout Lex Moysæ concedebat. Notet Studiosus Lector verba doctissimi Saliani ad Annum Mundi 3593. num. 27. ubi differens de illo difficillimo Eldræ præcepto, ait: Duo fuerunt, quæ difficultatem rei minuant: primum, iustitia apud eam gentem repudiæ; alterum, quod forsas licuit retinere alienigenas, si ad veri Dei cultum si traduci paterentur. Quamvis enim hoc in istis mulieribus, sicut in captis bello hebræis? iuxta ea, quæ in Deuteronomio traduntur.

Respondetur autem ad verba D. Pauli 2. Cor. 6. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus, esse hortatoria, & ad summum præceptiva, quæ faciabant Matrimonia fidelium cum infidelibus illicita ob periculum perversionis à fide; non autem irrita, & nulla; idcirco ad d. locum ita commentatur Cornelius à Lapide Nota: Durum erat Corinthiis in tanta paucitate Christianorum arctari a commercia, & conjugia cum fidelibus incunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu, nec aliis dotibus pares inveniebant; itaque vel conjugio eis abstinentiam erat, aut ducenda conjux nobilitate, gradu, & divitiis impar, & inferior. Rursum Jure nature, & Divino eis, aliisque fidelibus simpliciter, & absolute prohiberetur non erat ducere infidelem conjugem: erat tamen id indecens, & periculosum, ideoque ab Apostolo hic prohibetur. Igitur Apostolus monuit Corinthios, ut abstinerent ab incundis conjugis cum infidelibus, non quia si inirent, essent irrita, ac invalida; sed quia indecentia, ac periculosa, ut bene demonstrat etiam Eminēt. Card. de Lauræa d. disp. 32. num. 32. siquidem tale impedimentum dirimens ob disparitatem cultus non est inductum à Jure Divino.

Quo ad Tertium, in quo petitur, An prædictum Impedimentum ordinatum sit à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando? Omnes Theologi, ac Canonistæ concordati opinione respondent, Disparis cultus Impedimentum dirimens provenire à Jure Ecclesiastico, & ab Ecclesia esse statutum. Ita S. Thomas, Scotus, S. Bonaventura, & alii antiqui in 4. Sent. dist. 39. Sotus ibid. qu. Uic. art. 2. & alii plurimi congesti à Sanchez d. lib. 7. disp. 71. num. 7. Eminētiss. Cardin. Bellarminus de Matrim. lib. 1. cap. 23. conclus. 3. Mastrius d. disp. 7. num. 502. Averla d. qu. est. 18. sect. 1. vers. Communis tamen. Salmanticenses dist. cap. 12. numer. 73. & Eminētiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 32. num. 39. qui tamen omnes faciunt nullibi reperiri Canonem, vel decretum Ecclesiæ exprēse irritans Matrimonia inita inter baptizatos, ac infideles; quia in Jure Canonico sunt

quidem prohibita conjugia fidelium cum infidelibus, ita tamen, ut ex prohibitione censentur illicita, non autem irrita, seu invalida. Idcirco primum Decretum quod adduci potest pro hoc impedimento disparis cultus est illud Concilii Nicæni I. celebrati Anno 325. in quo can. 67. dicitur: Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupsit, ipsa quoque ex Ecclesia ejiciatur. Et subinde in can. 69. replicatur: Si quis fidelis filiam, aut sororem non consciam, neque presentem dederit nuptum non credenti, prohibetur communione fidelium. Ipsa vero, que data est in Matrimonium, non est prohibenda: Itaque puniuntur, qui sic nubent, sed nuptiæ non irritantur. Secundum Decretum est illud Concilii generalis Chalcedonenis habiti tempore S. Leonis Papæ, præsentente Martiano Augusto Anno Domini 451. in cujus can. 14. ita fuit statutum: Neque copulari debet nuptura heretico, vel judæo, vel pagano; nisi forte promittat, ad orthodoxam fidem se per personam orthodoxam copulam transferre. Si quis hanc dispositionem Sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptionis canonice subiacet. In quo canone, ut considerat Lessius d. cap. 11. de Matrim. num. 182. atque Eminētiss. Card. de Lauræa d. disp. 32. num. 41. nihil prorsus habetur de irratione Matrimonii, imò eodem penitus modo decernitur de infidelis, ac de heretico; & tamen cum hoc non est irritum, ut mox demonstrabimus; idemque resultat ex Concilio Toletano 3. cap. 14. Aureliani 2. cap. 19. Arvernen. cap. 6. & Roman. sub Zacharia Papæ; in quibus omnibus prohibentur Matrimonia fidelium cum infidelibus sub pena excommunicationis; sed nullum verbum de irratione.

Poffet quis urgere ex Concilio Toletano 4. cap. 61. (& refertur in cap. Judæi. 28. q. 1.) ubi sic habet: Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admonentur ab Episcopo Civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quod si remoniti noluerint, separentur. Sed, ut bene subdit Emin. Card. de Lauræa ubi sup. num. 43. neque ex hoc colligitur intentum, nam non loquitur de separatione vinculi, fed thori tantum, imò ex eo habetur oppositum: si enim Judæus efficiatur Christianus, periret in conjugio; ergo erat verum conjugium, quia non requiritur novus consensus, seu contractus, qui idcirco validus erat ante conversionem.

Quapropter cum prædicti Canones, & alii consimiles, qui leguntur in d. 28. q. 1. loquantur de prohibitione, non etiam de irratione Matrimoniorum inter personas disparis cultus initorum, hanc provenire ex Ecclesiæ consuetudine, universitater approbata, omnes DD. asseverant; ut subdit idem Emin. Cardin. de Lauræa d. disput. 32. num. 46. his verbis: Consuetudo Ecclesiæ Romanæ habet vim Legis, & ideo semper servanda ex Innocentio I. Episc. 1. 17. cap. 19. & dist. 11. cap. Nolite. cap. Quis sciat. dist. 12. cap. Non decet cum similib. Hæc autem est ejus consuetudo, & praxis, ut irritet Matrimonia fidelis cum infidelis; hæcque antiqua, non admittens contrarium: Unde ex consuetudine inductum, ac firmatum est hoc dirimens impedimentum disparitatis cultus ex communi Theologorum, & a Canonistarum assertionem, allegatorum pro ipsum Sanchez d. lib. 7. disp. 71. num. 8. quibus consentiunt Lessius d. cap. 11. num. 183. Ledesma, Averla, Candidus, Bonacina, & alii, quos citant, ac sequuntur Salmanticenses d. trad. 9. cap. 12. num. 73. ex quibus confirmatur doctrina, quam posuimus pro inconcussa in Decif. XVIII. n. 20. videlicet consuetudinem legitimè præscriptam habere vim introducendi impedimenta dirimentia Matrimonium.

Quoad Quartum: in quo requiritur, An Catholica mulier valide nubat Heretico, seu Apostata? & contra? Respondetur, circa hoc Quæritum tres reperiri sen-

sententias. Prima negat, mulierem Catholicam valide nubere Heretico, seu Apostata. Ita Glossa in cap. fin. de Condit. appos. Verb. Contra substantiam: ubi sic loquitur: Est & alia conditio honesta, que est de substantia Matrimonii, ut cum Christianus dicat Judæa, vel heretica, contra teum, si vis feri Christiana; sine ista non tenet Matrimonium. Huic Glossæ adhæsit Hostiensis in cap. 2. de Conjug. Servor. & Simanca de Catholic. Instit. tit. 40. n. 46. Sed ejusdem Glossæ dictum reprobat ibidem ab alia Glossa marginali, quæ advertit, esse differentiam inter judæam, atque hereticam; quia contra illam est impedimentum disparis cultus dirimens: non etiam contra istam. Secunda Sententia docet, aliquando extitisse inter Catholicos, & hereticos hoc impedimentum dirimens, sed successu temporum, per contrarium usum fuisse abolitum. Ita Basilius Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 47. num. 11. Tertia Sententia, quæ communis est inter Theologos, ac Canonistas, absolute docet, validum esse Matrimonium inter Catholicum, ac Hereticam, seu Apostatam, & contra inter mulierem Catholicam cum viro heretico, seu Apostata; est illicite simul contrahat, & cum culpa gravi. Ita innumeris DD. quos citat, & nominat Sanchez d. lib. 7. disp. 72. num. 2. Averla quest. 18. sect. 2. Lessius d. cap. 11. num. 184. Salmanticenses d. cap. 12. numer. 75. Mastrius d. disput. 7. num. 505. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 32. art. 3. ubi num. 52. & seqq. probat, conjugia inter prædictos esse illicita, tum ob periculum malæ educationis proles, tum ob censuras, quibus per Sacros Canones plectuntur iidem contrahentes, ut in cap. Curæ. & cap. Non oportet. 28. q. 1. Et ex Consiis. 42. Incipien. Cum fecit. Clementis Papæ VIII. ac aliis Conciliaribus Decretis.

Quod autem inter Catholicum, & Hereticam, seu contra, si contrahatur Matrimonium, non sit irritum, probatur. 1. Quia nullum Jure reperitur statutum hoc impedimentum dirimens inter eosdem. 2. Quia sic docet Glossa in d. cap. Non oportet. 28. q. 1. in Verb. Hereticis, dicens: Hereticus non potest contrahere Matrimonium cum Christiana; dicit tamen Hugo, quod si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato. 3. Quia Bonifacius VIII. in cap. Decretis. De Heretic. in 6. mandat, confiscari dotem mulieris Catholicæ scienter nubentis viro heretico; at non irritat ejus Matrimonium. 4. Quia Clemens VIII. in cit. Constitutione Cum sicut. §. 2. prohibet tantummodo, Ut Itali abstineant à Matrimoniis cum Hereticis mulieribus. 5. Quia Urbanus VIII. die 14. Martii 1630. in Congregatione S. Officii coram Sanctitate sua habita, decrevit, quoad Matrimonia jam inita tolerari posse Mulieres hereticas, que maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua spes conversionis; & nullum subversionis periculum; ita tamen, ut proles catholicæ educetur. Ut refert Nicolius Instit. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 42. Pignatellus tom. 4. consult. 139. & ejus Summator Abbas Paluccius tom. 2. Verb. Matrimonium. pag. 22. Et 6. Quia Sacra Congregatio Propagandæ Fidei Anno 1638. tom. 52. num. 36. Censuit, in terris Hereticorum, ubi hereses impudè grassantur, maxime si ibi Catholica Fidei liber cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis hereticis, per exhortationes potius, quam per censuras prohibenda; teste eodem Nicolio d. n. 42. Late Gobatus de Matrim. trad. 9. num. 226. & seqq. ubi doctè demonstrat, non extare hoc impedimentum dirimens inter Catholicos, & Acatolicos respectu disparis religionis; est contingere possit, ut ob aliquas condiciones, essentialiter Matrimonii tamquam contractus repugnantes, possit inter eosdem invalidè initi.

Sed objicit aliquis: In sexta Synodo Generali

habita Anno 692. statutum fuit in can. 72. Non liceat, Virum orthodoxum cum muliere heretica; neque orthodoxam cum viro heretico copulari. Si quid injusmodi ab illo est omnibus factum apparuerit, irritas Nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi. Ergo tunc statutum fuit Impedimentum dirimens Matrimonium initum inter Catholicos, & Acatolicos, Respondet Emin. Card. de Lauræa d. disput. 32. num. 64. Canonem illum nullius esse auctoritatis, & subdit; Ratio est, quia ut habetur ex tom. 3. Conciliorum fol. 141. illud Concilium congregatum fuit Constantinopoli Anno 692. in Palatio, quod dicitur Trullanopoli Anno 692. in Palatio, & condidit Canones 102. inter quos multi præjudiciales Universitati Ecclesiæ, & præsertim Latine; & nunquam fuit à Sede Apostolica confirmatum; Igitur ex eo nequit deduci Decretum invalidans Matrimonia. Et ne quis dicat, ita locutum Cardinalem esse affectu in Ecclesiam Romanam, cuius primaria fruebatur dignitate; notentur verba Salmanticensium in Hispania commemorantium, qui d. tradit. 9. cap. 12. loquuntur: Respondetur, illum Canonem esse ex illis, qui Trullani dicuntur, qui post dissolutam Synodum statuti sunt ab aliquibus Episcopis, & sic nullam habent auctoritatem. At id plenius demonstrat Caballarius in Notitia Concilior. agens de ejusdem Trullani conventus Decretis.

Corollarii loco liceat ad complementum disparis religionis impedimenti irritantis, tamquam à consuetudine in Ecclesia recepti, ponere hic verba Dianæ, quæ habentur in part. 6. tract. 6. resol. 39. & nunc reposita conspiciuntur in Coordinati ejus operis 23 tom. 6. tract. 1. resol. 13. sub §. 2. videlicet: Et ideo conformiter ad dicta graviter aliquos Theologi, de quorum numero fuit Lessius, in consultatione Rome habita, censuerunt, disparitatem cultus apud Chineses, & Japonias, his initiis correptionis, non esse impedimentum dirimens. Ratio hujus dicti esse potuit, quod eatenus prædictum Impedimentum dirimit, quatenus sit usū, & consuetudine receptum; cumque in novi illius Christiani Orbis partibus hæc consuetudo tunc non esset legitime firmata, ac scripta; ex ea nondum erat idem impedimentum statutum. Leonardus Lessius excellentem doctrinam probant opera multiplicia, quæ in Bibliotheca Scriptor. Soc. Jesu recensentur Litt. L. Verb. Leonard. Lessius; cuius pietatis eximie ponitur testimonium his verbis de his, quæ sibi servanda quotidie propulerat. I. Neminem vituperare. II. Ante studium cor ad Deum elevari. III. Pro capiendō consilia orare. IV. In surgendo orationem, Concede quæsumus, usurpare. V. In rebus dubiis, ac perplexis ad luminis Divini fontem confugere. VI. Ubique impetum cohibere, & pacifice agere. VII. Modum in refectioe servare, & memorem esse celestis voluptatis. Doctissimus hæc Theologus Leonardus Lessius, ac piissimus Societatis Jesu Sacerdos, obiit Lovani die 25. Januarii Anno salutis 1623. ætatis suæ 69. Religionis 51. Sacerdotii 43. Professionis quatuor Votorum 33. ut in eadem Bibliotheca legitur adnotatum.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decifio, quidquid dici poffet, aut sciri debet de Impedimento, Matrimonium dirimente, Vis, & Metus. Harum vocum Etymologia, definitio, ac divisio præmissis, explicatur, Quo Jure Metus gravis dirimat Matrimonium? & Quot condiciones requirantur, ut Metus dicatur gravis, cadens in constantem Virum? Resolvitur, An Me-

Metus reverentialis? An blanditiæ, & preces importunæ? An Metus incussus à causa naturali? vel ab homine ex iusta causa illatus reddat Matrimonium nullum? Item Utrum hoc revalidari possit Juramento? Vel copula carnali subseque? In quibus omnibus per exempla, ac DD. punctuales doctrinas tota Metus materia clarè, ac juridicè declaratur.

SUMMARIUM.

- 1 Libertas consensus humani duplex. Et que?
2 Involuntarium dicitur, quod voluntate sit non omnino libera.
3 Vis, & Metus impediunt, ac dirimunt Matrimonium.
4 Vis, & Metus sunt correlativa.
5 Metus Etymologia qua? & Vis?
6 Metus definitiones duæ.
7 Vis, & Metus quomodo differant inter se?
8 Metus diviso duplex.
9 Matrimonium Metu gravi contractum est ipso Jure nullum.
10 Sed an Jure Ecclesiastico tantum? vel etiam Jure naturali Divino?
11 Infidelium Matrimonium per Vim, & Metum inita an sint nulla?
12 Rebecca, ut nubat Isaaco, requiritur, an velit?
13 Mortaliter peccant, qui Vim, & Metum inferunt in Matrimonium. Et quando incurrant in excommunicationem?
14 Utrum etiam qui contrahunt illud ex Metu gravi?
15 Vim conjuge passo volente ratificare Matrimonium, an alter possit resistere?
16 Metus, ut sit gravis, requiritur conditiones quinque. Et que sint?
17 Malorum exempla, quibus incutitur Metus gravis.
18 Mala sunt rationabiliter timenda, ut Metus sit gravis.
19 Metus ex iniuriis à persona debili illatis non dicitur gravis.
20 Minas faciens an debeat esse solutus illas exequi?
21 Minas qui potest indennis fugere, non patitur Metum gravem.
22 Metus levis in femina, & vivo debili potest esse gravis.
23 Metus reverentialis in quibus personis dicatur esse?
24 Dupliciter considerari potest.
25 Metus reverentialis quando dirimat Matrimonium?
26 Fabella de Genitore, qui vim fecit filiabus, ut Moniales fierent.
27 Preces importunæ, aut blanditiæ an dirimant Matrimonium.
28 S. Dorotheæ, S. Bibiane, ac S. Hermenegildi fortitudo.
29 Martyr nexibus ligatus quomodo blanditiis, & oscula meretricis superavit?
30 Timor naufragii, vel mortali infirmitatis an dirimat Matrimonium volutum ob illum metum?
31 Medicus negans suam Curam infirmo, an ei inferat Metum gravem?
32 Judex si iuste Metum gravem inferat, hic Matrimonium non dirimit.
33 Dominus ad mortem, ut eam evitet, si filiam iudicis in Uxorem ducat, an valide ducat?
34 Metus gravis à privati personis iuste illatus an dirimat Matrimonium?
35 Coactio eligendi ex pluribus filiabus unam an sit Impedimentum dirimens?
36 Juramentum an tollat Impedimentum Metus?

- 37 Copula carnalis an convalidet Matrimonium per Metum contractum?
38 Consummans Matrimonium invalidè initum, an peccet?
39 Matrimonium invalidum revalidari non potest, nisi eorum Parocho, & testibus, & num. 42.
40 Decisiones Rote, ac DD. agentes de Vi, & Metu in praxi videntur.
41 Papa non potest dispensare super Impedimento Vis, & Metus.
42 Declaratio Matrimonii per Metum irriti, non obstante copula per septennium, ac filiorum susceptione.

IN contrahentibus Matrimonium requiritur, quod eorum consensus sit omnino liber, ac voluntarius; quia cum Matrimonium sit contractus humanus, cuius obiectum, ac materia, circa quam versatur, est valde gravis, nimirum proprii corporis traditio sub alterius potestate, necessarium postulat in contrahentibus consensus libertatem; quæ quidem cum sit duplex, una, quæ excludit omnem necessitatem, etiam actionum naturalium, & vocatur absoluta; altera, quæ eximitur ab omni coactione proveniente ab impulsu, seu motivo externo; & dicitur libertas secundum quid; (nam est non destruitur penitus humanam voluntatem, quia nihil fieri potest ab homine rationis usum habente, nisi aliquo modo illud velit.) nihilominus cum cogitur coactione externa ad illud volendum, ejus consensus dicitur involuntarius, & sine libertate, ut subtiliter differit Matrim. in 4. dist. 7. num. 114. Ideoque ex hujus privatione absoluta libertatis insurgit Impedimentum Vis, & Metus dirimens Matrimonium; quia coactio causat involuntarium secundum quid, & aufert liberum consensum à contrahentibus, sine quo contractus non potest subsistere; quapropter in præsentii Decisione de hac animi coactione, & libertatis privatione est agendum; quæ in Jure Canonico vocatur Vis tamquam causa; nec non Metus, sicut effectus; juxta Rubricam Decretalium, ac Digestorum De his, que vi, metu, & causa sunt; & sic videndum quomodo, & quando Matrimonium per vim, & metum initum sit ipso Jure nullum? Pro explicatione autem hujus impedimenti Vis, & Metus sunt videnda:

- 1. Quid, & Quotplex sit Metus? & quo Jure dirimat Matrimonium?
2. Quot Conditiones requiruntur, ut Metus sit gravis, & dirimat Matrimonium?
3. An Metus reverentialis, & ex solis precibus importunis dirimat Matrimonium?
4. An Metus incussus à causa naturali, & à motivo intrinseco tantum?
5. An Metus gravis, iuste tamen illatus?
6. An Matrimonium metu gravi contractum confirmari possit Juramento, vel copula maritali post illud inter eosdem contrahentes habitam?
Nec miretur Studiosus Lector, quod nos, Theologos, ac Canonistas sequentes, hic non agamus de Vi, quæ verè, & proprie est causativa Impedimenti dirimentis Matrimonium; sed tantum de Metu, qui non recensetur inter carmina indicativa impedimentorum: siquidem, ut doctè observat Ventriglia in Praxi Juri Eccles. tom. 1. Annot. 4. num. 2. Vis, & Metus sunt correlativa, & quod de uno dicitur, etiam intelligitur de altero; in hoc enim tantum differunt inter se, quod Vis consistit in inferente Metum, & se habet per modum Agentis; Metus verbò stat in persona, quæ patitur Vim, & se habet per modum Patientis; unde virtute correlationis quidquid docent DD. de Metu, intelligendum est etiam de Vi, ex observatione Bartoli in l. 1. num. 2. ff. de eo, quod metus causa. Igitur Quo ad Primum: Hoc nomen Metus venit à ver-

verbo Metus quasi Mutuo, quia, ut ex Varrone scribit Vossius in Etymologic. Ling. Lat. Verb. Metus, iste causat motum animi, quem patimur, & sentimus, quando malum, quod imminens credimus, averfamur; & idè dicitur Metus, quasi Motus. Vis autem deducitur à nomine Græco Vi, quod proprie significat fibræ, aut nervum; & quia robur in nervis consistit, idè etiam pro Vi, seu robore usurpatur; ut ait idem Vossius in Verb. Vis; & quia qui robore corporis, seu divitiarum pollent, solent esse violenti; idè à violentia appellatur Vis, quia unus homo terret alium, & ei incutit metum. Plures autem dantur definitiones Metus à DD. sed duæ præcipuæ. Una à Theologis, dicentibus Metum esse passionem, quæ refugium malum futurum, cui resistere non possumus. Ita Salmanticenses d. trad. 9. de Matrim. non cap. 9. num. 1. Dicitur Passio, tamquam genus, & continet sub se plures passionum species, nam, ut ait Osiandus in Addit. ad Donellum cap. 38. Litter. C. si affidus apprehendit malum grave futurum, illa apprehensio causat passionem, quæ dicitur Metus; si malum imminens, Timor; & si permanens, Formido; si valde mentem concutiat appellatur Terror; si mentem loco moveat, Pavor; & ulterius si processerit, quasi hominem extra sensus impellens, Exanimatio. Dicitur, in definitione, quæ refugium malum futurum, idè modum illatum, sed inferendum, ad differentiam doloris, quem homo patitur ex violentia damni, seu mali illati. Et si Futurum sumitur, non pro valde distans, sed etiam imminenti atque præsentii, dummodò tamen non sit actualiter illatum; sed quod comminetur illud inferre. Dicitur, cui resistere non possumus, quia si vel vi possumus illud malum repellere, sive alio modo efergere, cessat hæc passio, quæ appellatur Metus. Altera definitio datur à Canonistis, ac Legisperitis, desumentibus illam à Vulpiano in l. 1. ff. De eo, quod metus causa, ubi ait, Metum esse instantis periculi, vel futuri causa mentis Trepidationem Hanc approbat Ventriglia d. tom. 1. Annot. 4. num. 1. dicens, appellari Trepidationem mentis, quia Metus ortus habet ex ipso imaginatione periculi futuri, propè jam imminenti. Dicitur instantis, quia valde remota pericula non adeo timeantur, nec multum mentem turbant. Concordat circa hujus definitionis explicationem Emmanuel Gonzalez in Comment. ad cap. 1. de His, que vi, metu, & causa sunt, num. 12. tom. 1. ubi assignat differentiam inter Vim, atque Metum dicens, quod Vis, est impetus, qui repellit non potest, cumque aliquid per vim extorqueatur, nulla voluntas patientis adeat; at dum futuri periculi metu aliquid datur, vel promittitur, in patiente reperitur aliqua voluntas, quamvis coacta, & non libera, unde fit, ut opus dicitur involuntarium. Idem docet Emin. Card. de Lauræa disp. 19. de Matrim. num. 4.

Dupliciter autem dividitur Metus. Primo, quod alius fit Metus gravis; alius verbò Metus levis. Ille dicitur cadens in Virum constantem; iste verbò in debilem, seu inconstantem Virum; quomodo autem cognoscatur Metus gravis, ac cadens in constantem virum ab illo, qui censetur levis, & in Virum debilem cadens? explicabitur infra, ubi conditiones Metus gravis referemus. Secundo modo dividitur Metus, ut alius incussus fit à causa libera, ut si frater metetur mortem sorori, nisi nubat tali persone, quam ipse frater proponit; alius sit incussus à causa necessaria, ut à periculo mortali infirmitatis, pestis vel naufragii, aut alio motivo veniens ab intrinseco; ut latè dicitur Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 1. et seqq. Basilius Pontius eod. trad. lib. 4. cap. 2. Avertit qu. 4. sect. 2. Matrim. in 4. sent. disp. 7. a num. 120. & Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 19. a num. 26. Et seqq. ubi egregie

subdit alias Metus subdivisiones, etsi non simpliciter necessarias, scitu tamen dignas; videlicet, quod alius Metus dicitur Concussus, qui inferitur per minas, & terrores; alius Impressus, qui incutitur per verbera, vulnera, aut alia mala illata. Item alius est Suspensionis fundate, ubi minans potens sit, vel solutus minas exequi; alius tandem Reverentialis, qui ob reverentiam Majorum inducit ad aliquid faciendum, vel omitendum, de quibus omnibus speciebus Metus infra videbimus, docentes, quando, & quomodo per illas irritetur Matrimonium.

Porro cum certum sit, Matrimonium contractum Vi, ac Metu cadente in constantem Virum esse ipso Jure irritum, ac nullum. cap. Si verum. Et cap. De Nuptis. 27. quest. 2. cap. Cum locum. cap. Veniens. cap. Consultationi. Et cap. Gemma. De Sponsalib. cap. 2. De his, que vi &c. Et cap. Significavit. De eo, qui duxit in Matrim. S. Thomas, atque Scotus in 4. dist. 29. quest. 1. art. 3. & innumeri DD. congesti à Sanchezio d. lib. 4. disp. 12. n. 18. pugnant tamen inter se Thomistæ, ac Scotistæ quærentes, an hæc irritatio, & nullitas Matrimonii proveniat à solo Jure Ecclesiastico per text. & Canones suprarrelatos, (quos furo effectum habere tam in foro externo, quam in interno advertunt Salmanticenses d. cap. 9. num. 3.) sed etiam remaneat irritum, & nullum Matrimonium ipsum Jure naturæ? In qua questione Thomistæ Dominicani, & Carmelitæ, quos citant, ac sequuntur idem Salmanticenses d. cap. 9. num. 7. tenent, quod solo Jure Ecclesiastico inducta sit prædicta nullitas Matrimonii, quia, inquit, sive Matrimonium confideretur ut Sacramentum, non est Jure naturæ irritum, etsi per Vim, & Metum celebratum, nam Baptismus per vim receptus, & absolutio Sacramentalis per metum impartita est valida. cap. Majoris. De Baptismo. cap. De Judeis. dist. 45. sive habeatur, ut contractus; quia hi omnes per Vim, & Metum non sunt de Jure naturæ irriti, neque de Jure positivo, sed veniunt tantummodo irritandi. l. 1. ff. De eo quod metus causa. l. si mulier 21. ff. si metus coactus. Et l. Metum. 9. ff. eod. l. si. C. De his, que vi, ac aliis iuris, & argumentis adductis ab eodem Sanchezio d. lib. 4. disp. 7. a num. 4. ubi innumeros DD. cumulat hanc opinionem amplectentes, quibus adhæret novissimè Nicolus Insti. Crvil. lib. 1. tit. 10. n. 45.

Contrariam opinionem sequuntur Scotistæ, affirmantes, Matrimonium, per Vim, ac Metum in constantem Virum cadentem initum, esse nullum, & invalidum, non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali, ac Divino; tum quia consensus liber contrahentium est de essentia Matrimonii; non enim coitus, sed voluntas facit illud. cap. 1. cap. Conjug. 27. quest. 1. Conc. Trid. sess. 24. cap. Unicum quia Matrimonium est indissolubile, & perpetuum; at non potest esse tale, si contrahatur per Vim; nam nihil violentum durabile, tum etiam quia Vis, & Metus repugnant sed Matrimonii, qui est non solum prolis procreatio, sed ejus bona educatio, amorque, & inmuta obsequia inter conjuges; quæ omnia desunt, ubi absque libera voluntate initum sit conjugium. Nec obstat, quod hoc impedimentum Vis, & Metus innotescat per Canones, ac Jus Ecclesiasticum: quia, ajunt Scotistæ, Canones ipsi sunt declarativi antiquæ existentie hujus Impedimenti, non inductivi tantum. Hinc inter insidules, qui Juri Ecclesiastico non subdantur, Vis, & Metus dirimit Matrimonium, sic jubente Jure naturæ; & quando Eliezer servus Abrahami perire Rebecca in Uxorem pro Isaaco à genitoribus ejus, illi responderunt: Vocemus puellam, & queramus voluntatem ejus: Et statim quesiverunt parentes, Vis ire cum homine isto? Que respondit, ibi. Genes. 24. 57. Tunc autem vigeat Lex naturæ, à qua parentes Rebecca

12 Rebecca edocti, noluerunt eam nuptui tradere Isaac, nisi ipsa volente, ac liberè consentiente, ut doctè dicitur Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. art. 2. qui stat pro hac opinione, quam antea tenuerunt gravissimi DD. quos allegat, & sequitur Basilius Pontius lib. 4. cap. 14. num. 4. inter quos Rebelleus part. 2. lib. 2. quest. 11. sect. 1. Comitulus lib. 1. quest. 123. ubi plurimos adducit, prout facit Diana Coordinatus tom. 2. tract. 6. resol. 141. §. 3. desumpta ex veteri parti. 4. tract. 4. resol. 33. quibus accedunt Mairius d. disp. 7. n. 121. Gobatus tract. 9. num. 244. 248. & 249. atque Barbosa in Votis Decisivis lib. 1. Vol. 1. n. 14. ibique Farinaccius in Fragment. Crimin. Verb. Metus. num. 18.

Hujus controversiæ Decisionem relinquimus Studioli Lectoris arbitrio; nobis enim satis est scire, quòd absque ullo dubio Vis, & Metus gravis cadens in constantem Virum dirimit Matrimonium, ut supra num. 9. probatum est. Magis autem utile videtur scire an mortaliter peccent tam illi, qui Vim, ac Metum inferunt; quam qui cum eo contrahunt Matrimonium, ac simulat consentire, & voluntarie contrahere. De inferente Metum, ac extorquente consensum pro Vim, non est dubitandum, quòd peccat mortaliter, tum peccato iniustitiæ impellendo renitentem ad inendum conjugium; tum peccato Sacriligii, contra reverentiam debitam Sacramento, ut notat Salmanticenses d. cap. 9. num. 12. addentes, quòd si Vim inferens, ac Metum incutiens sit Index, vel Magistratus, incurrit excommunicationem latam à Tridentino Concilio in sess. 24. de Matrim. cap. 9. De illo autem, qui vim patitur, & sicte consentit, videtur dicendum, quòd peccat mortaliter, quia applicat materiam, & formam Sacramento invalido, prout peccare mortaliter dicimus Confessarium, qui dat absolutionem penitenti non bene disposito. Nihilominus, communis est responsio, quòd sicte consentiens ob Vim, & Metum, nullum committit peccatum, etiam si adderet Juramentum; quia non est ipse, qui facit Matrimonium irritum, sed Jus tum naturale, tum Ecclesiasticum, à quibus irritatur ob defectum sufficientis materiæ, idest liberi consensus. Ita Sanchez d. lib. 4. disp. 16. num. 6. Aversa d. quest. 4. sect. 2. §. Ille vero, Basilius Pontius d. lib. 4. cap. 16. & alii apud Salmanticenses d. cap. 9. num. 14. ubi num. 15. aliam questionem proponunt, videlicet, an conjuge Vim, ac Metum passo, volente postea, & petente consolidare Matrimonium per novum liberum consensum, teneatur alter conjux consentire, & Matrimonium illud, antea irritum, confirmare? Circa quam referunt diversas DD. opiniones, & concludunt, si alter conjux non fuit auctor violentiæ, quæ à tertia persona, eo infuso forsan fuit illata, attenta nullitate conjugii, potest ab eo dissentire: at si complex fuit, & auctor coactionis, ad resarciendam injuriam illatam conjugi vim passo, tenetur Matrimonium ratificare, si ipse vim passus resolvat illud ratum, & gratum habere: Ita docent Navarrus in Summa cap. 22. num. 51. Basilius Pontius d. lib. 4. cap. 15. num. 3. Aversa d. q. 4. sect. 2. Trullench, Bonacina, & alii per Salmanticenses d. cap. 9. num. 17. citati.

Quoad secundum, in quo queritur, Quot conditiones requirantur, ut Metus sit gravis, & dirimat Matrimonium? Concorditer respondent Juristæ, ac Theologi, quinque conditiones requiri. Prima est, quòd malum, seu damnum, quòd quis minatur, se esse illaturum, nisi in Matrimonium consentiat, sit malum, & dampnum grave, aptum incutere timorem etiam in constantem Virum. I. Metum. la prima. ff. de eo, quod metus causa, in qua hæc verba: Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris mali. ubi Glossa explicat dicens, idest magni mali. Ideò si ageretur de levi ma-

lo, aut parvo damno, metus non esset gravis, ut advertunt omnes DD. quos allegat, & sequuntur Sanchez d. lib. 4. disp. 4. Pontius d. lib. 4. cap. 2. Aversa d. q. 4. sect. 3. & Salmanticenses d. cap. 9. num. 18. & sequi quos numer. 20. dant de malo, ac damno gravi exempla sequentia. 1. De metu mortis, ac amissionis Vitæ. Cum dicitur. De bis, quæ vi, metus causa sunt. 2. De mutilatione, de corporis cruciatibus, de flagellis, aut de servitute. I. Ipsi quidem. ff. De eo, quod metus causa. 3. Timor exillii, vel carceris. I. Timorem. I. Qui in carcere. ff. cot. & quidem, secundum Basil. Pontium d. lib. 4. cap. 4. n. 3. etiam carceris privati. 4. Amissionis proprii status, conditionis, seu dignitatis. d. I. Ipsi quidem. 5. Stupri comminati inferendi sive Viro, sive Femiæ, tum Virgini, tum corruptæ, præcipue si sit bona famæ. S. Thom. 3. p. quest. 47. art. 2. 6. Quæ omnia mala censentur gravia, & cadere in virum constantem, non solum si quis illa minetur inferenda personæ, à qua præterit extorquere consensum pro Matrimonio in eundem; sed etiam si protestetur, illa inferre ejus parentibus, consanguineis, vel affiniibus usque ad quartum gradum; nec non amicis artissima amicitia conjunctis, ut late probant Sanchez d. lib. 4. disp. 4. Aversa q. 4. sect. 3. Basilius Pontius lib. 4. cap. 3. & alii apud Salmanticenses d. cap. 9. n. 18. quibus ad stipulantur Nicolius in Floscul. Verb. Metus. numer. 2. Mairius d. disp. 7. num. 120. Et Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. art. 3. per tot. & præcipue §. 4. ubi bene advertit, quòd licet DD. alterentur inter se, an sit metus gravis ille, qui insurgit ex comminatione vel infamiæ, vel excommunicationis, vel amissionis bonorum? verior est opinio affirmativa, quia hæc tria mala gravia sunt, & proprie dicuntur cadere in constantem Virum, ut concludunt etiam Salmanticenses d. cap. 9. n. 18. ubi sequi.

Secunda conditio, ut metus sit gravis, & dicatur cadere in Virum constantem est; ut ille, cui incutitur, probabiliter credat, & rationabiliter opinetur, malum illud imminere. S. Thomas d. 3. p. q. 47. art. 2. siquidem Vir fortis, & constantis non movetur, nisi ex forti, & probabilis estimatione; ad differentiam hominis timidi, & inconstantis, qui levibus ex conjecturis sibi imminere malum timet juxta illud Prov. 28. Fugit impius, nemine persequente. Et illud Eccles. 19. Qui cito credit, levis est corde. Ita concorditer omnes DD. & novissimè Eminen. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 50. atque Ventriglia d. tom. 1. Annot. 4. §. 1. num. 7.

Tertia conditio est, ut Metum incutiens potens sit minas executioni mandare; quia non est Vir fortis, & constantis terreri minis, quæ à viro debili, sene, paupere, vel aliis contemptibili incutiuntur. I. Famosi. ff. Ad l. Jul. Majest. ubi hæc verba: Nam & persona spectanda est, an poterit facere, & ante quid fecerit. Imò addunt DD. quòd, ut metus dicatur cadens in constantem virum, opus est, ut inferens metum, et si non possit, credatur posse exequi minas. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. numer. 60. ubi subdit: Vir constantis est fortis, & impavidus ex 3. Ethic. cap. 9. sed fortis non timet inermes, imbelles, verbosus, ac jactatores. Et Ventriglia d. Annot. 4. §. 1. num. 10. ubi ita hanc conditionem declarat: Quod intelligendum est, si minatus verè credat, quòd minans possit minas exequi, licet de facto minans non possit eas exequi ob causam incognitam minato. Sanchez d. lib. 4. disp. 1. num. 19. & Salmanticenses d. cap. 9. num. 19.

Quarta conditio est, ut incutiens metum non solum credatur posse minas exequi, sed solitus sit illas ad executionem deducere, vel in eodem genere mali, vel in alio simili. DD. apud Salmanticenses d. cap. 4. num. 19. Ventriglia d. Annot. 4. §. 1. numer. 11. ubi considerat text. in l. Unic. C. si quis Imperat.

perat. in illis verbis: Ex personis hominum dicta pensetur. & in d. l. Famosi. ff. Ad leg. Jul. Majest. ubi dicitur: Nam & persona spectanda est, an poterit facere, & ante quid fecerit; prout etiam in l. Metum. C. De his, quæ vi, ubi pariter hæc verba habentur: Metum non jactationibus tantum, vel confessionibus, sed atrocitate facti probari convenit; ex quibus, solitum esse comminatum exequi minas, probare oportere scribit ibi Bart. Bald. Salicet. & alii, quos citat Mascardus de Probat. conclus. 1055. num. 18. & 19. Et idè hæc consuetudo, ut quis sit solitus minas exequi, non probatur per unicum actum, quando minas semel esse executas minas; sed requiruntur saltem duo actus secundum doctrinam Archidiaconi in cap. Illud in fin. dist. 12. Bartoli in l. Pupillo. §. si quis ipse. num. 15. ff. De oper. novi nunciat. & Abbas in cap. fin. num. 4. De Appellat. Sed ego habeo magnam difficultatem circa hanc quartam conditionem, & præcipue circa hanc multipliciter violentiorum actuum, & præcipue circa hanc executorem; quia potest esse, ut quis potens exequi minas, cum aliis illas non executis fuerit, sed cum hæc persona, cui grave damnum comminatur, sit illas executurus, & idè satis esse puto, quòd minans talis sit, ut possit minas exequi, & qui minas patitur, credat esse ad executionem deducendas; tunc enim ex hæc credulitate oritur metus gravis, & cadens in constantem Virum, irritans Matrimonium, ut scribit Ferretus, in præterito sæculo Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Consulor, consil. 296. num. 15. & Monaldus, Venetus Advocatus vol. 2. consil. 5. num. 32. Quapropter in præfata servanda est doctrina Cæsaris de Panimollis, qui in Decif. 102. Adnot. 1. num. 16. ita loquitur: Limita, quòd quando minans sit Princeps, vel persona potens, tunc minæ inducunt jussum metum, etiam si non probetur consuetudo illas exequendi: ac idem docent Romanus in l. Interpositas. num. 4. C. De Transact. Sanchez de Matrim. d. lib. 4. disp. 6. num. 22. & Farinaccius Fragment. Crimin. part. 2. Verb. Metus. num. 97.

Quinta, & ultima conditio Metus est, quòd ille, qui minas facit, non possit facile eas evitare, malavè comminata fugere; vel implorandum, d. lib. 3. Ethic. cap. 9. atque aggredi ardua, & difficilia, ut ait Eminentiis. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. num. 63. & ante illum Sanchez d. lib. 4. disp. 19. num. 23. Aversa d. quest. 4. sect. 3. & alii, quos congerunt, & laudant Salmanticenses d. cap. 9. num. 19. nec non Ventriglia d. Annot. 4. §. 1. à num. 14. & sequi, ubi duo observanda dicit: Unum, quòd hæc materia Metus multum pendet ab arbitrio Judicis, qui considerare debet qualitatem inferentis metum, & qualitatem illum patientis, ut tradunt Menochius de Arbitrar. Judic. casu 135. numer. 3. Sperellus decif. 5. num. 72. Novissimè Emin. Card. de Luca de Matrim. disc. 6. num. 9. Alterum, quòd minor metus requiritur in femina, quam in viro, nam femina sæpè natura sunt valde imbecilles, & minus habiles ad resistendum minis, ut voluit Rota coram Ludovico Decif. 374. num. 8. & part. 18. recent. Decif. 405. num. 4. Similiter major metus requiritur in viro robusto, quam in puero, vel in senes, vel aliis debili, juxta Glossam in cap. Cum locum. Verb. Metus. De Sponsalib. & ibi Abbas num. 6. Idemque docent Hippolit. Sing. 578. Felinus consil. 14. num. 3. Tiracuell. de Legib. Connub. l. 9. Gloss. 1. num. 160. Boerius d. decif. 100. num. 2. & alii plurimi apud Salmanticenses d. lib. 4. de Matrim. disp. 3. per totum; & apud Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 9. num. 28.

Quo ad Tertium, in quo indagatur, An solus Metus reverentialis, seu solis precibus importunus illatus, dirimat Matrimonium? Circa Metum reverentialem duo sunt præmittenda. Unum est, quòd Metus reverentialis esse potest in omnibus sequentibus personis, videlicet. 1. In Uxore respectu Mariti. 2. In Filio respectu Patris, vel Matris. 3. In Genero respectu Socris, qui ut Pater habetur. 4. In Filia minori respectu Fratris majoris, seu Sororis majoris. 5. In Fratris juniore respectu Fratris senioris. 6. In pupillo respectu Tutoris. 7. In Clerico respectu Episcopi. 8. In subdito respectu Magistratus, seu Jurisdictantis, & 9. In Discipulo respectu Magistris, seu Pædagogi, juxta casum, de quo late differit Barbosa in Votis Decisivis d. lib. 1. Vol. 1. per totum; in quo de Metu dirimente Matrimonium intum à discipulo ob metum reverentialem sui Pædagogi, qui illum per minas, ac terrores impulit ad nubendum, ut lucraretur Ducatos mille, eidem Pædagogo, ad hunc effectum à parentibus puellæ promissos. Agunt de supradictis personis metui reverentialem subjecti Sanchez d. lib. 4. disp. 6. Aversa d. quest. 4. sect. 5. Basilius Pontius d. lib. 4. cap. 5. & alii apud Salmanticenses d. lib. 4. cap. 9. num. 32. Alterum præmittendum est, quòd Metus reverentialis dupliciter consideratur, vel cum periculo alicujus gravis mali; vel sine tali periculo. Primo modo, quando Filius, vel Filia non obtemperans voluntati Patris, aliusve inferioris, non exequens jussa sui Majoris, sumè rationabiliter reddere illum sibi infensum, turpeliciosum, torvè aspicientem, nec placidè loquentem; & multo magis, si audiat eundem in se verba opprobriosa dicentem, vel iustus, ac verbera mittentem; aut alias mortificationes in se promittentem; quæ omnia reputantur in filio, seu subdito mala gravia, & insupportabilia. Secundo modo consideratur Metus reverentialis absque periculo, videlicet quando filius, vel subditus non parens Patri, seu Superiori suo, patitur quidem talem qualem pudorem, ac verecundiam; sed scit, Parentes, sive Superiores indignationem non esse servaturos neque ad vindictam, vel punishmentem aliquam fore transfuturos; imò de facili se reddere placatos, ut differunt Salmanticenses d. cap. 9. num. 33. ubi his prænotatis docent, Metum reverentialem primo modo consideratum esse impedimentum dirimens Matrimonium; non etiam secundo modo acceptum juxta communem DD. sententiam, quos cumulat, & sequitur Sanchez d. lib. 4. disp. 6. Aversa d. quest. 4. sect. 5. Basilius Pontius lib. 4. cap. 11. quibus concordans sunt Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 183. ubi ita: Dico; Metus reverentialis sicut Parentum, sive aliorum Superiorum, dummodo sit absque minis, non inducit coactionem, nec invalidat Matrimonium; nec non Mairius d. disp. 7. ita scribens sub num. 123. Sola reverentia erga majores, sicut metus reverentialis non sufficit ad reddendum irritum Matrimonium, nisi accedente rationabili timore gravis mali; videlicet quando voluntati, & imperio Patris, aut alterius Superioris contrariè sunt minæ graves, aut aliqua servitia; idemque dicendum, si timeatur gravis, & diu duratura indignatio Patris. Ideoque subdunt etiam doctissimi Salmanticenses d. cap. 9. num. 34. Hujusmodi Metus reverentialis, si timor talis indignationis diuturne sufficit ad irritandum Matrimonium; quia est timor gravis mali, quòd non potest facile evitari, & potest rationabiliter filios, vel subditos, etiam invitos movere.

Referenda hic venit fabella, quam multis ab hinc annis eruditissimus Concionator narravit è suggestu in hac Cathedrali Ecclesia Patavina completa prima Concionis parte, in qua de non inferendo per parentes Vi filius filius in electione status egerat, sed eos liberè permittebat eligere vel Religionem, vel Matrimonium. Dicitis mihi, Auditores

ditores nobilissimi, (subiunxit Concionator) Nos hac monitione non egimus; filios nostros iuxta eorum voluntatem collocamus. Ita credo (ait) sed aude. In quadam Italia Civitate, Vir nobilis, ac dives, completa Quadragesima, coegit me, prandium in domo sua fumere; quo finito, bellariis tantum stantibus super mensam, accesserunt tres filiole, quinquennis una, sexennis alia, tertia septennis; cuique genitor ipse iussit, ut ad osculandum mihi manum accederent; iisque propè Patrem eorum stantibus, ipse dixit: Ecce Pater Prædicator, hæc septennis, ac major fieri vult Monialis: cui respondentem alta voce, Nequaquam, Nequaquam, dedit alapam Pater dicens, dilicere temeraria. Ad secundam postea conversus ait: Vis fieri Monialis? Uti que, illa respondit; tunc Pater porrexit ei bellaria, & inquit, hæc est prudens, & bona filia. Subinde quinquennem, ac parvulam interrogavit, Vis nubere, vel fieri Monialis? Ipsa statim reiteratò exclamabat, Monialis, Monialis, Monialis. Tunc Concionator ad auditores è suggestu moralitatem quasi ex hac fabella deducens, subiunxit; Primæ filia neganti, se velle fieri Monialem, data est alapa; secundæ afferenti se Monialem facturam, tradita sunt bellaria; hæc videns tertia, etiam puerula, melius, ait intra se, est eligere vitam religiofam, quam mundanam; quia propter hanc Pater alapis me percussit, propter illam bellariis me donabit. Mehercle, sæpe sapius, nisi expressis minis, saltem artificiosis insinuationibus per vim, & metum filii, & filia statum religiofam eligere, vel contra illorum voluntatem nubere à parentibus adiguntur, ac molestis vexationibus obligantur. Quare his concurrentibus Metum reverentialem reddere Matrimonium irritum, ac nullum, præter Theologos supra recensitos, tradunt etiam Canonistæ, inter quos Abbas in cap. 1. num. 5. & in cap. Causam Matrimonii. n. 3. De offic. deleg. Covarvius 4. Decr. 2. p. cap. 3. §. 6. num. 4. Malcard. de Probat. concl. 1055. num. 18. & 19. Decianus consil. 8. num. 127. vol. 1. & alii apud Ventrigliam d. Adnot. 4. §. 1. num. 32. & habetur Decisio in terminis Rotæ Romanæ p. 16. rec. Decis. 38. quæ circa Metum reverentialem Magistralis est, & omnino videnda.

Quo verò ad Preces importunas, instantissimas, ac sæpius repetitas, & inculcatas; Utrum per eas causetur Metus dirimens Matrimonium? Alii afferunt, alii negant. Pro affirmativa stat Basilii Pontius d. libr. 4. de Matrimon. cap. 5. num. 17. ac alii plurimi DD. quos citat Sanchez d. libr. 4. disp. 7. num. 4. quia cruciatus animi, quales sunt preces importunæ, non minorem vim habent, quam cruciatus corporis; hinc in Evangelio Luc. 11. 8. propter importunitatem amici petentis panem, qui nolebat impingere, surget, & dabit illi. Et de fortissimo Sampone legitur Iudic. 16. 17. quòd ab importunis Uxoris precibus devotus manifestavit ei, in quo confiteretur eius fortitudo. Pro negativa stat Scotus in 4. sent. dist. 29. §. ad 3. sub G. quem sequitur Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 189. & seqq. ea ratione, quia preces, ac blanditiæ veræ, & propriæ vim non faciunt, & qui per eas inclinat ad aliquid faciendum, voluntarie inclinare, ac facere censetur; aliàs omnes contractus, & actiones humanæ subiacerent nullitati; cum, ut plurimum ad preces amicum frant; imò Joannes Papa XXII. in Extravag. de Præbend. profiteretur, Pontifices sæpe multa concedere ob importunitatem petentium, & tamen gratiæ Pontificiæ ex hoc non censentur nullæ. Quòd si amici in Evangelio ob importunitatem dedit panes petenti, voluntarie dedit; prout voluntarie Sampson manifestavit secretum Uxoris suæ, ut notant de eo Scripturistæ; & hanc opinionem probabiliorum vocat Sanchez d. libr. 4. disp. 7. num. 7.

Cæterum has opiniones concordant Salmanticen-

ses distinguendo; vel preces importunæ, ac blanditiæ sunt à personis inferioribus, vel ad summum æqualibus, & in hoc casu, non causant metum dirimentem Matrimonium; vel sunt ab aliquo Superiore, cui debita est reverentia, obedientia, & obsequium, & tunc, si ille importunè roget, ac reiteratò petat, etiam cum blanditiis, aliisque urgentibus; & instantibus verbis, hæc causare dicuntur Metum reverentialem irritantem Matrimonium, quia huiusmodi preces habent in se violentiam, quia pelle precum, ac blanditiarum teguntur minæ, & pericula gravium damnorum, iuxta Proverbum: Est orare Ducum species violenta subdendi.

Ita Salmanticenses d. trad. 9. de Matrimon. cap. 9. num. 37. & 38. ubi DD. ita distinguunt allegant, & citant textum in l. 4. ff. de Regul. Jur. dicentem: Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini; nec non canonem in cap. Puella. 20. quæst. 1. ubi irritatur Professio ex Patris imperio, & repetito rogatu facta.

Hic memoranda, ac veneranda est memoria S. Dorotheæ Virginis, & Martyris, quæ Christe, & Calisthe Sororibus, quæ à fide defecerant, tradita, ut eam à proposito removeret; eorum precibus, ac blanditiis nequaquam cessit; sed contra factum est, nam eas Dorothea ad cultum Christianæ Religionis reduxit, ut in Breviar. Rom. die 6. Febr. Admiranda pariter, & summis laudibus extollenda fortitudo S. Bibianæ, ac fororis eius, quæ neque blanditiis, neque minis Aptoniani Iudicis Etrurici à rella fide declinantes, Bibiana Rufinæ mulieris vasserrime seducenda traditur, sed ipsa fortior, femine superavit insidias, & Prætoris astus delusit, ut in eod. Brev. 2. Decemb. Concordat S. Hermenegildi constantia, de quo die 13. April. ad Matutin.

Nullis Te genitor blanditiis trahit.
Non vitæ caperis divitis otio,
Gemmarumve nitore,
Regnandæ cupidine.

Sed nec reticenda illius Martyris fortis industria, ac industriosa fortitudo, qui ne à blanditiis, & oculis pulcherrimæ meretricis, ligatus ne eam repelleret, superaretur, mirabilis eiecit conatu, quem narrat Spondanus ad Annum Christi 253. num. 17. his verbis: Alium juvenili etate florentem in amovissimos hortulos (impudens Iudex) precepit adduci, ibique resupinari, & ne se inde posse decedere, blandis Serico nexibus irretitum relinquit. Quòd cum adveniens meretricis speciosa, delicatis complexibus, & attractionibus, corpus ad libidinem concitaret, sentiens se miles Christi superari voluptate, quem tormenta non vicerant, cæcibus inspiratus, præcisam mori linguam in oculantis se faciem expulit, ac se libidinis sensum succedentis doloris magnitudo superavit. Hæc erat in primitivis Ecclesiæ sæculis fidelem constantia, quos nec Vis, nec Metus à virtutis tramite dimovebat. Ex hoc ultimo exemplo refellitur Menochius lib. 3. Præsumpt. 4. à num. 35. & seqq. dicens, Virum non posse nolentem coire.

Quo ad Quartum, in quo proponitur, An Metus incussus à causa naturali, & libera, non in ordine ad Matrimonium, illud dirimat? Et quid si ab aliquo ad hunc effectum sit iuste illatus? Et quo ad primam partem Quæstio, concors est DD. Sententia, quòd Metus incussus à causa naturali, vel libera, & propter quem aliquis resolvit contrahere tale, vel tale Matrimonium, illud non irritat. Exemplum dant DD. de illo, qui obviam habens feram, vel in naufragii periculo existens, aut mortali morbo laborans, votum facit, si incolumis evadat, ducendi in Uxorem aliquam Meretricem, ut eam à peccandi occasione liberet; vel puellam pauperem indotatam, ne in libidinis vitium descendat. Ratio est, quia nullus est, qui vim faciat huic votenti; aut eius consentium violenter extorqueat; sed dicitur omnino volun-

voluntaria, ac libera ejus determinatio nubendi, ut demonstrant Aversa qu. 4. §. 4. Basilii Pontius libr. 4. cap. 19. numer. 3. Sanchez libr. 4. disp. 120. num. 4. & seqq. Bonacina de Matrim. q. 3. pun. 8. à num. 16. & alii citatis Salmanticenses d. cap. 9. num. 41. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. art. 3. §. 8. à num. 107. & seqq. ubi pluribus rationibus probat, Metum provenientem ab intrinseco ex causis naturalibus non facere involuntarium, nec tollere liberam consentium. Neque obstat textus in cap. Gonsalvus. 17. q. 2. ubi quidam Vir, sic nominatus, cum esset infirmus, fecit Votum de ingredienda Religione, si convalesceret; & nihilominus cum factus esset sanus, respondit Alex. II. eum non teneri illud Votum adimplere. Ergo dicendum, quòd neque Matrimonium valeat, inquit ex metu mortalis infirmitatis. Non obstat, inquam, quia, ut respondet ibidem Emin. Card. de Lauræa n. 110. Gonsalvus ille non erat obligatus ad Votum adimplendum, quia non fuerat sanæ mentis, quando illud emisit.

Sed hic resolvendus est casus satis curiosus, ac practicabilis. Medicus quidam non elevatæ nobilitatis, sed sublimis scientiæ, cupiens parentelam inire cum nobilissima filii loci familia, petit ab ea unam ex filiabus in Uxorem; & Sororem suam obtulit uni ex natis ejusdem familiæ nupturam. Paterfamilias nobilitati suæ injuriam fieri ratus, Medici instantiam reject; paulò post infirmatus, ac maligna febre oppressus, Medicum prædictum accessit, qui artificiosè se impeditum asserit, & negat, ejus curam assumere. Infirmus, ac sui de familia cognoscit, Medici reculationem à reculatibus Nuptiis provenire; idè timore mortis ob gravem illum morbum Patrifamilias imminentes, tam ipse, quam sui offerunt Medico, & exequuntur reciproca desiderata conjugia; quibus initis, studio, ac solertia ejusdem Medici infirmus sanatur. Queritur Utrum prædicta Matrimonia irrita fuerint, tamquam contracta timore mortis, ac per metum cadentem in constantem Virum. Respondendum est cum distinctione. Vel in loco illo, ubi Paterfamilias ægotavit, non erant alii Medici docti, ac periti, qui possent illum curare; prout accidere solet in Castellis, & aliis locis, non valde amplis, prout in Castris Montifilicis, Atheistis, Montaneæ, & aliis hujus Diocesis? Vel erat copia aliorum Medicorum æquè Sapientium, ac peritorum? Primo casu, Matrimonia illa fuerunt irrita, & invalida tamquam contracta ob metum mortis, qui gravis fuit, & cadens in constantem Virum, ac incussus ab ipso Medico denegante opem suam illi infirmo necessariam. Ita Aversa qu. 4. §. 4. Adnotari etiam. Basilii Pontius libr. 4. cap. 19. num. 15. & alii citatis, Salmanticenses d. cap. 9. de Matrimon. num. 54. ubi ita loquuntur: Si Medicus talem curationem recuset ad extorquendum Matrimonium, tunc videndum est, an Medicus teneatur, quia non est alius; & necessitas urget; tunc invalidum erit Matrimonium; nam licet timor oriatur ex morte, Medicus denegans curationem in tali casu necessariam, metum gravem incutit; sicut qui in casu extreme necessitatis denegaret subsidium necessarium ad conservandam vitam periclitanti, nisi numeret cum filia sua, aut sorore; vel qui immersus in aqua, auxilium postulari ab alio, potente sibi impedire. Et ille nollet juvare, nisi nudaret sorori; tunc enim Matrimonium esset nullum. Secundo verò casu, quando alii Medici æqualis sapientiæ, ac praxis extarent in loco, & commodè possent vocari, ut infirmum curarent, prout in hac Urbe Antenorea, & aliis amplissimis, tunc Matrimonia illa essent valida; quia censentur facta ex libera voluntate ipsius infirmi, atque suorum de familia, ut concludunt Salmanticenses d. n. 54. & DD. ibi allegati.

Quo ad Quintum, in quo disputatur, An Metus gra-

vis iuste tamen illatus dirimat Matrimonium? Duo casus pariter sunt distinguendi. Unus est, si Metus iuste inferatur à Judice. Alter est, si à privatis personis Metus ipse sit illatus. Circa primum casum, omnes DD. infra allegandi concorditer respondent, Metum à Judice iuste illatum, etsi gravem, cum discrimine vitæ, non irritare Matrimonium. Exempli gratia Petrus desloravit Antoniam, ac Vi cum ea copulam carnalem habuit. Denunciatur justitiæ, traditur in carcerem, probato supro, ac violentia, Juxta condemnat Petrum ad mortem, nisi velit in Uxorem eamdem Antoniam accipere. Petrus timore mortis illam in Uxorem accipit. Tale Matrimonium est validum, nec sub prætextu Metus gravis cadentis in constantem Virum, potest irritum judicari. Probatur ratione, quia qui deliquit, tenetur penam subire, & qui ad fugiendam penam à Jure, & à Judice illatam, eligit nuptias, voluntarie eligit; hinc in Exod. 22. & Deuter. 22. Deus præceperat Hebræis, quòd qui cum Virgine dormivisset, eam acciperet in Uxorem; Deus autem id, quod iustum erat, præceperat. Idè sic docent Sanchez d. libr. 4. disp. 13. num. 3. Basilii Pontius libr. 4. cap. 19. num. 7. Lessius de Just. & Jure libr. 2. cap. 17. dub. 6. num. 40. Salmanticenses d. cap. 9. num. 44. dicentes, tunc enim non extorquetur consensus iniuste, nec per injuriam, quia ordo justitiæ petit, ut cogatur, & si, qui cogit, non est rationabiliter invitatus, quia jure cogitur, & sic ipse libi metum infert. cap. 1. & 2. de Adult. cap. Ex Litteris. 2. de Sponsal. cap. Si mulier. De eo, quod Metus causa. Concordant Perez de Matrim. disp. 17. sect. 16. n. 6. Diana Coordinatus tom. 2. trad. 6. resol. 139. & resol. 140. deceptæ ex veteri part. 9. trad. 8. resol. 26. & resol. 27. in quibus refert, sed confutat Texedam contrarium asserentem. Et novissimè pro validitate Matrimonii in supra figurato casu stant Matruius d. dispur. 7. num. 122. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. dispur. 19. num. 127. & Ventriglia d. Amot. 4. §. 2. num. 6. & 7. ubi sexx. & DD.

Porro major difficultas est, an valeat Matrimonium, si quis sententiat, iuste quidem, sit ad mortem ob alia facinora, & ut mortem effugiat, offerat Judici se paratum decere ejus filiam in Uxorem? Pro utraque opinione affirmativa, & negativa habentur DD. quos refert Diana Coordinatus d. tom. 2. trad. 6. resol. 139. ubi §. 4. amplectitur affirmativam, & stat pro validitate Matrimonii, juxta doctrinam Sanchezii d. libr. 4. de Matrimon. disp. 13. num. 6. & 7. ea ratione, quia eo eventu Metus non incutitur ad Matrimonium incedendum; sed jam conceptus auferitur, traditurque modus evadendi periculum; undè licet demus, eo casu Judicem non iuste procedere; attamen cum Metum patienti præbeat modum, quòd possit vitæ periculum effugere; nullam vim facit, & Matrimonium est validum; ut tenent etiam Salmanticenses d. cap. 9. num. 46. cum aliis DD. ibi allegatis.

Circa alterum casum de Metu gravi iuste illato à personis privatis, figurari potest facti species de aliquo Juvene reposito cum aliqua Virgine, turpia secum agente per illius Virginis parentes, qui statim gravi iracundia percelli, eundem juvenem armis aggressivum, mortem ipsi illaturi, nisi statim Matrimonium cum eadem Virgine ineat, ad quem effectum statim Parochum, & testes asserunt, coram quibus contrahitur Matrimonium per verba de præcanti, prout nonnullis ab hinc annis, cum ego essem Vicarius Generalis, successit in Terra Atheistis sub Parochia Sancti Martini; ubi casus iste occurrit, & inito conjugio, depositis armis à parentibus, Sponsus ex illa domo aufugit, & statim prorelictus fuit de nullitate Matrimonii, tamquam per vim, & Metum gravem, cadentem in constantem Virum, scilicet

licet ob timorem mortis, ab eo initi. Querunt igitur DD. an Matrimonium in prædicta facti specie sit validum? Circa quam respondent sub distinctione: Si parentes petant à Juvene illo, ut prædictam puellam statim ducat in Uxorem; aliàs cum sint interfectori? & concorditer omnes DD. dicunt, Matrimonium esse nullum juxta text. in capit. Veniens. 2. De Sponsal. At si Juvenis ipse offerat ex se recipere puellam illam in Uxorem, ut mortem effugiat, quam irati parentes minantur ei illaturi; tunc validum esse Matrimonium asserunt Sanchez d. lib. 4. disput. 12. num. 14. Trullench lib. 7. capit. 7. dub. 1. numer. 12. Basilus Pontius lib. 4. capit. 19. num. 10. Averfa qu. 4. sect. 4. Salmanticensis alios allegantes d. cap. 9. num. 46. & 47. Et ceteris omnis Eminentiss. Cardin. de Lauræa dicit. disput. 19. a num. 122. & seqq. ubi alios Canones adducit. Ratio pro nullitate Matrimonii in prima distinctione est, quia personæ private non habent facultatem puniendi illum supratorem, id est ei injuriam inferunt, minantes mortem, & debent pro eius punitione ad Judicem recurrere. In secunda autem distinctione, cum ipse supratorem offerat, compensare suum delictum ducendo puellam in Uxorem, censetur voluntarie Matrimonium contrahere, & sic validum existeret.

At instabit aliquis, quid Juris, si parentes armati reperunt Juvenem in cubiculo cogent ad ducendam in Uxorem unam ex quinque filiabus illius familiæ, quam sibi placitam eligeret? In hoc casu validum esse Matrimonium dixerunt Candidus disputat. 28. artic. 8. dub. 19. Azorius part. 1. lib. 1. capit. 11. dub. 11. & alii relati à Sanchezio d. lib. 4. disput. 12. num. 20. qui tamen amplectitur contrariam opinionem, & tenet Matrimonium esse nullum, tanquam initum per vim, & Metum cadentem in constantem virum, nihil suffragante illa electione eligenda una ad sui beneplicitatem ex quinque puellis; siquidem non minus est privus libertate, qui inclusus tenetur in uno cubiculo, quam in quinque; & ita sentiunt Basilus Pontius lib. 4. cap. 14. n. 14. cum pluribus per eum citatis, quibus adherent Salmanticensis dicit. cap. 9. num. 40. & Ventriglia d. Adnot. 4. §. 2. num. 3. ubi tamen dicit, Abbatem in cap. Cum terra numer. 4. de Elect. & Felinum in cap. In presentia. num. 37. De Sponsal. opinari, validum esse prædictum Matrimonium, utpotè ex prædicta libera electione voluntarium.

Quo ad Ultimum, in quo inquiritur, An Matrimonium nulliter ex Metu gravi contractum possit validari vel Juramento, vel copula carnali subsequente? Circa subsequens Juramentum; est DD. plura scribent, distinguentes, an ipsum interponatur super consensu præterito, vel de præsentia, aut de futuro, ut fuscè differit Emin. Cardin. de Lauræa dicit. disput. 19. art. 7. in tribus integris paragraphis; concludunt tamen communiter, quod si duret metu, & causa metu, ob quam Matrimonium fuit nulliter initum, ipsummet Juramentum nihil operatur quo ad revalidandum conjugium; siquidem Juramentum semper sequitur naturam contractus, qui conjungitur. l. fin. C. De non numer. pecun. & ideo sicut Matrimonium ad sui validitatem imbibit hanc conditionem, ut libero consensu fiat, aliàs sit irritum; ita Juramentum durante metu emissum, nullum est valoris, & nullam parit obligationem. Sanchez d. lib. 4. disput. 20. num. 12. Averfa q. 4. sect. 6. Rebilius lib. 2. qu. 11. sect. 2. num. 18. & pluribus aliis citatis Salmanticensis d. cap. 9. de Matrimon. num. 63. & 64. ubi addunt, neque opus esse absolutione, seu relaxatione ejusdem Juramenti; & cum iidem concordant Maftrius d. disp. 7. num. 143. & 144. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. art. 7. §. 1. 2. & 3.

Major difficultas est, si præfatio consensu, ac in-

ito Matrimonio per vim, & metum, cadentem in constantem virum, deinde sequatur copula carnalis, & consummatio ejusdem Matrimonii, utrum per hanc copulam censetur ablatum metu, præfatus consensus liber, & revalidatum Matrimonium? Pro resolutione dubii duo sunt advertenda: Unum, quod post Concilium Tridentinum si Matrimonium fuerit contractum per vim, & metum abique præfatione Parochi, & saltem duorum testium, quamvis subinde consummatum fuerit per copulam, dubitari non potest de ejus nullitate; nam tamquam clandestinum ex defectu præfationis Parochi, est omnino irritum; & nullum ex decreto ejusdem Concilii sess. 24. de Matrim. ref. cap. 1. Alterum est, quod ipsamet Concilium Tridentinum, dum irritavit Matrimonium clandestinum, abfque Parochi interventu inita, nihil innovavit circa illa, quæ per vim, & metum cadentem in constantem virum contrahuntur, sed ea reliquit juxta dispositionem antiquorum Canonum, ut bene observat Eminentiss. Card. de Lauræa dicit. disput. 29. num. 157. & num. 165. His prænotatis, resolvendo dubium, ac supposito, quod Matrimonium fuerit contractum per metum grave coram Parocho, & testibus, DD. procedunt cum hæc distinctione. Vel metum grave passus sit Matrimonium esse nullum; sed spontè, ac voluntarie consummatum illud, & ad copulam carnalem cum altero conjugè descendit; & in hoc casu omnes testantur Matrimonium validatum censeri per novum liberum consensum, juxta textum in cap. Significavit. De eo, qui duxit. in cap. Isuper. Qui Matrim. accusat. & in cap. Consultationi. & cap. 1. qui. De Sponsalib. in quibus omnibus juribus copula subsequente habetur pro testificatione liberi consensu in Matrimonio; & quod, deposito metu, & mutata voluntate, spontè velit in conjugio manere; nam si noluisse, aufugisset, neque Matrimonium per copulam consummasset, quæ est præsumptio Juris, & de Jure, quod liberè confenserit juxta Glossam in cap. Ad id. De Sponsalib. Verb. per annum, ubi ponit hos verus: Effuge, cum poteris, ne consensisse puteris. Nam si postiteris, illius Uxor eris.

Quare per copulam liberè subsequente revalidatum esse Matrimonium, & voluntarium consensum præfatum docent S. Thom. in 4. disp. 29. q. Uxor. art. 3. q. 2. ad 2. Sanchez, plurimos cumulat, lib. 4. disput. 18. num. 1. Averfa qu. 4. sect. 6. Basilus Pontius d. lib. 4. cap. 14. n. 12. & alii citatis, Salmanticensis d. cap. 9. num. 57. & 58. addentes, quod prædicta reconvalidatio conjugii, & supervenientia liberi consensu præfumeretur etiam sine copula, quando metum passus diu cohabitaret cum conjugè, & ei signa amoris dederit per amplexus, vel per dona Sponsalitia. Aut prædicta copula maritalis, consummata tique Matrimonii sit à Metum passo, durante adhuc Metu, & causa Metus; puta, quia parentes armati, à quibus coactus fuerat coram Parocho, & testibus conjugium inire per verba de præfatione, non discesserant ex illa domo, in qua facta fuit coactio? Et in hoc casu duæ sunt opiniones: Prima asserit Matrimonium Metu gravi contractum ratificari, & validum effici per copulam etiam Metu gravi extortam; tum quia talis Metus non censetur amplius gravis, & cadens in constantem virum, cujus est eligere potius mortem, quam peccatum fornicationis, per illam copulam; tum etiam quia de Jure sunt irrita Matrimonia per gravem Metum inita in favorem illorum, quibus vis inferitur. Sed quilibet potest renuuntiare favori pro se introducto, prout censetur facere minatus, Matrimonium per copulam consummando; sic enim præsumitur novum consensum, eumque liberum præstare. Ita tenent plures citati per Salmanticensis d. e. 9. num. 59. inter quos Averfa d. qu. 4. sect. 6. Vers. Et quidem Vega lib. 2. in Summ. cap. 513. Sotus, Ledesina & alii,

& alii, præcipue Glossa in cap. de illis. il. 2. de Sponsal. Impuber. quam allegat, sequiturque Fagnan. in eod. cap. de illis. num. 12. tom. 6. pag. 23. Secunda Sententia, quæ verior, ac probabilior reputatur, tenet, non ratificari Matrimonium, nec validum effici, quando Metu gravi consummatur per copulam, eò quia hæc non est sufficiens signum liberi consensu; prout non sunt verba, quibus minas passus dixit, se Matrimonium contrahere; quia de Jure irritantur conjugia per vim inita, durante ipsa vi, quæ in hoc casu supponitur durare; ipsaque irritatio tendit in bonum publicum ad tollenda scandala, & malos exitus ex eadem vi provenientes; ut fufius comprobant hujus opinionis sectatores Salmanticensis d. cap. 9. num. 60. & ibi Sanchez d. lib. 4. disput. 18. num. 15. Basilus Pontius d. lib. 4. cap. 14. numer. 12. Henriquez lib. 11. cap. 9. nu. 7. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 8. numer. 24. Sylvestre Verb. Matrimonium. 8. q. 11. dub. 3. Rebilius lib. 2. q. 9. num. 20. & alii Carmelitæ plures; quibus consonat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. toto art. 4. ubi à num. 170. plures adducit rationes, & inter cæteras, quia eatenus Ecclesia in pluribus text. Canonis judicavit, pro validitate Matrimonii ob subsequente copulam, quia, ut in eis legitur, præsumptio stabat pro cessatione Metus, & novo consensu libero; sed si copula exigatur expressè per Metum, vel sequatur durante Metu, cessat præsumptio prædicta. Ergo non sufficit copula subsequens ad validandum Matrimonium. Subinde num. 172. respondit primo argumento opinionis contrariæ, & ostendit, Metum adhuc esse cadentem in constantem virum, est eligat copulam, quæ reputatur peccaminosa; homo autem fortis, & constans debet potius eligere mortem, quam peccatum; nam, inquit, Hoc assumptum est falsum; indè est ad oppositum; nam consummatus Matrimonium ob mortis Metum, id facit animo conjugali, non concubinario; & eligi ex Metu copulam effectum maritali ad effugiendam damna gravia mortis; & sic patitur Metum cadentem in constantem virum. Aliam responfionem eidem primo argumento dant Salmanticensis d. cap. 9. num. 62. dicentes: In tali casu datur in Metum patiente duplex consensus, unus in Matrimonium, alter in copulam; primus, per quem eligit Matrimonium, ut mortem evadat, est ex Metu viri constantis, & ideo illud irritum reddit, quia non consentit in peccatum, ut mortem effugiat. Secundus vero, quo amplectitur copulam, ut à morte liberetur, est viri inconstantis; ideoque compatitur, quod Matrimonium sit irritum, & ipsam copulam esse peccatum mortale. Ad Secundum argumentum respondent, quod nemo potest renuuntiare favori ob bonum publicum introductum, est concernat etiam ipsius privati utilitatem; quare si duret Metus, & causa Metus, copula, & consummatio Matrimonii non consolidat illud, quod antea ex eodem Metu gravi nulliter erat contractum; ut in terminis copulæ subsequente, & Matrimonii consummati scribit Abbas, Præpositus, Alexander de Nevo, & sequitur Sperellus Decif. 25. n. 19. ubi mordicus stat pro nullitate Matrimonii, copula non obstante; & citat Rotam coram Cardin. Seraphino Decif. 863. num. 7. ubi hoc ipsum affirmat, prout novissime in Neapolitana Nullitatis Matrimonii coram R. P. D. Calataju die Veneris 11. Januarii 1675. quæ impressa habetur inter recentiores part. 18. decif. 405. num. 9.

Corollarium loco duo, notatu digna, sunt Studio Lectori tradenda. Unum est, superfluum esse disputare, An Matrimonium per Metum grave, etiam coram Parocho, & testibus contractum invalidè, postea revalidetur per subsequentem copulam carnalem, seu voluntariam cohabitationem; siquidem De Sacram. Matrim.

dem à Sacra Congregatione declaratum est, quod quotiescumque Matrimonium invalidè initum fuit ex quocumque publico impedimento dirimente; eo cessante, non sufficit novus consensus conjugum ad illud revalidandum, nisi præstetur iterum coram Parocho, & testibus juxta Decretum S. Concilii Tridentini sess. 24. de Matrim. cap. 1. Vers. Qui aliter. De prædicta autem declaratione S. Congregationis testantur Rotæ Decisiones coram Cardin. Seraphino Decif. 900. & coram Ludovifio Decif. 395. nec non Basilus Pontius lib. 5. de Matrim. cap. 6. num. 7. & Fagnanus in cap. De illis. num. 13. De Sponsal. Impub. tom. 6. pag. 23. Undè non sunt attendenda, quæ in contrarium scripserunt Sanchez lib. 2. disput. 37. num. 14. Rebilius part. 2. lib. 2. punct. 9. num. 5. & Gobatus tract. 9. num. 500. nec non tract. 10. num. 415. ac alii Moralitæ ibi allegati. Alterum notatu dignum est, quod si occurrat in praxi aliqua causa nullitatis Matrimonii per vim, & Metum inita, videnda sunt Decisiones Rotæ coram Buratto Decif. 86. & Decif. 213. positæ etiam, illa in part. 1. recent. Decif. 643. ista in part. 3. Decif. 784. Item coram Seraphino Decif. 859. coram Penia Decif. 1140. coram Ludovifio Decif. 326. & Decif. 374. prout etiam in part. 16. recent. Decif. 38. atque in part. 18. Decif. 405. tom. 2. Legendus pariter Sperellus Decif. 5. Decif. 6. & Decif. 25. Barbofa in Vol. Decifivis lib. 1. Vol. 1. & lib. 2. Vol. 16. Cæfar de Panimollis Decif. 19. Decif. 29. & Decif. 102. Eminentiss. Cardin. de Luca de Matrim. disc. 4. & disc. 6. doctissimus Jacobus Pignatellus J. C. Romanus tom. 9. Consult. 180. 181. & 182. ubi materiam Vis, & Metus plenissime explicat; prout etiam Vincentius de Justis De Dispensat. Matrimonial. lib. 2. cap. 12. ubi copiosissime alios Auctores allegat, & num. 20. demonstrat, super hoc Impedimento Vis, & Metus Summum Pontificem non posse dispensare; & sub numer. 67. subdit, quod Sacra Congregatio die 15. Septembris 1629. teste Pyrho Corrado Disp. Apostol. lib. 7. cap. 7. num. 42. declaravit invalidum quoddam Matrimonium contractum à filia propter Metum mortis sibi à Matre incussum, quamvis illa, post obitum Matris, per Septennium cum Viro permanfisset, & filios procreasset.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Offendit hæc Decifio, irrita esse Matrimonia contracta ab Ordinatis in Sacris; & quibus pœnis iidem sic contrahentes afficiantur? E converso docet, Uxoratum posse Ordinari in Sacris, quinque tamen concurrentibus conditionibus. Agitur de causis, ob quas Papa possit dispensare, ut Ordinatus in Sacris Uxoratum ducat. Exempla hujusmodi Dispensationum, & præcipue de Anno 1690. sub Alexandro VIII.

SUMMARIUM.

- 1 Ordinatus Sacri impedimentum dirimens explicatum Decif. XXI.
- 2 Ordines Minores an impediunt Matrimonium contrahendum?
- 3 Ordo Sacer illud impedit, & dirimit.
- 4 Pœne contra ordinatos in Sacris contrahentes Matrimonium.
- 5 Conjugatus potest ad Ordines Sacros promoveri, quinque concurrentibus conditionibus. Et quæ?
- 6 Uxoritis licentia omnino necessaria, ut Maritus suscipiat Ordines.
- 7 Uxor, cujus Maritus ordinatur, debet castè vivere,